







VIR MAGNIFICE  
ATQVE SVMME VENERABILIS

**VIRO MAGNIFICO**  
ATQVE  
SVMME VENERABILI  
**FRIDERICO ANDREAE**  
**HALLBAVERO**

SANCTIORIS DOCTRINAE DOCTORI  
ET PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO  
CELEBERRIMO  
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM  
MEININGENSIS, COBVRGENSIS ET SALTVELDEN-  
SIS  
NEC NON GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS  
A CONSILII ECCLESIASTICIS  
CIVIVM GOTHANORVM ET ALTENBVRGENSIVM  
INSPECTORI GRAVISSIMO  
SOCIETATIS LATINAE DIRECTORI  
SPECTATISSIMO

**REGIMEN ACADEMICVM**  
A. D. III ID. AVGVST. CL. MDCCXXXVI.  
RITE SVSCEPTVM  
**SOCIETATIS LATINAE NOMINE**

GRATVLATVRVS  
DE DONARIIS POETARVM  
BREVITER COMMENTATVR  
**M. IAC. FRIDER. HEVSINGER.**



VIENNAE TYPIS RITTERIANIS.





VIR MAGNIFICE  
ATQVE SVMME VENERABILIS

VIRO MAGNIFICO  
ATQVE SVMME VENERABILIS



YMANAE naturae imbecillitatem, etiam ante quam sanctissimis humanae salutis reparator coelesti sua doctrina per vniuersum terrarum orbem sparsa animos hominum tamquam clarissima luce collustraret, adeo perpexerunt Graecorum Romanorumque sapientissimi quique, vt simul iidem agnouerint atque professi sint, nihil bene, nihilque fortunatae hominibus sine deorum immortalium auxilio succedere. Hinc non solum rerum gerendarum initium a precationibus capiebant, deosque auspicaturi, quae alicuius momenti essent, opera sacrificiis aliisque caeremoniis propitiabant; sed donis etiam post perfecta oprato successu negotia gratias agebant numinibus, quibus suas res curae fuisse arbitrabantur. Testantur hoc templa, aedes, arae, statuae (a), innumeraeque alia dona (b) diis pro praestita ope a populis, vrbibus, ordinibus, collegiis, aut singulis etiam hominibus consecrata. Inter reliqua dona, quae alios aliis numinibus dicasse legimus, extant donaria diis ab artificibus oblata. Nec ceserunt istis hac pietatis laude viri liberalium artium studio eximium decus consequuti. Maxime poetarum, qui praeceteris etiam hominibus a diis amari se putabant, et ab aliis credi vellent, solliciti cauerunt, ne, quum alibi, tum hac parte pietatis videri possent negligetiores. Inde non raro munerum a poetis numinibus, in quorum tutela ipsi erant, datorum in monumentis praecis mentionem fieri obseruamus. Horum non nulla, VIR SVMME, si per grauisimas, quibus vt semper alias, sic hoc tempore maxime, distringeris curas, TECVM omnis antiquitatis et amantissimo, et peritissimo perlustrare decreui. Propria et vstitatissima poetarum dona, quibus deorum gratiam remunerabantur, erant carmina ac versiculi, credo quia haec maxime suadebat, quae hoc genus hominum comitari solet, rei familiaris angustia. Tale igitur donum PROPERTIVS (c) de salute puellae adfectae sollicitus Ioui his versibus pollicetur:

*Pro quibus optatis sacro me carmine damno.  
Scribam ego, per magnum salua puella Iouem.*

Non tamen verba solum poetarum donabant, sed pietosia etiam horum non numquam fuerunt munera, cuius rei ARISTOMACHES Erythraeae poetriae donarium non contemnendum nobis perhibere potest testimonium. De hac autem in POLEMONIS (d) libro de thesauris Delphicis traditum est, in Sicyonio thesauro positum fuisse aureum libellum, ab ipsa dedicatum quum Isthmia vicisset. Sed huius donarii iam mentionem factam video a TOMASINO (e), apud quem etiam alia poetarum vota inuenias, quae ne istius serinia compilare videar, huc transferre nolui. Commemorabo potius celebratum illum

(a) Plurima exempla, si id agere consulum foret, enotare potuissem vel ex Antiquitatum thesauro PITSICI, qui consuli queat in vocibus *Templum, Aedes, Ara, Statua* et alibi.  
 (b) Vid. TOMASINI librum de donariis, et epigrammata *ἀριστομαχία*, quae magno numero insperant in ANTHOLOGIA epigrammatum Graecorum, in VFFENBACHIANA bibl. M. S. P. II. §. 27. p. 79. seq. atque in operibus inscriptionum.  
 (c) Lib. II. eleg. 28. Plura exempla carminum diis sacratorum habes apud TOMASINVM de donariis cap. XXIII. vbi de votis eradicorum agitur.  
 (d) Hic, nisi fallor, ille ipse POLEMON est, qui ATHENAEORUM teste scriptis *πρὸ τῶν κερὰ πόντος ἐπιγραμμάτων*. Locus, quem attuli ex libro perdidit, legitur apud PLUTARCHVM lib. V. conuivialium disputationum quaest. II. pag. 69c. Vbi tamen pro corrupta impressionum exemplarium scriptura *ἀριστομαχία τῶν ἱερωνομαχίας*, et codicibus TVRNEBII ac VVILCOBII reponendum *ἀριστομαχία Ἐρυθρίας κωνσταντίας*. Hinc ARISTOMACHAM audacter Erythraeam vocari poetriam.  
 (e) Loco quem paulo ante indicauit.



illum eruditorumque infinitis contradictionibus exagitatam tripodem HESIODI, cuius haec infeription circumfertur: (f)

Ἡσίοδος Μούσαις ἑλικωνίαι τόνδ' ἀνέθηκεν,  
ἔμνην νικήσας ἐν Χαλκίδι Σάων Ὀμηρον.

Hanc ita Latinam reddere tentavi:

Hesiodus posuit Musis Heliconis alumnis,  
Chalcide quon cantans diuinum, vicit Homerum.

Negant quidem Homericarum Sirenium admiratores, HOMERVM, utpote longe priorem tempore, vniquam cum Ascraco poeta in certamen venire potuisse, nedum inferiorem discesisse, et omnes ingenii neruos intendunt, vt vero simile faciant, carmen, quod supra posui, a male feriato HESIODI cultore confictum esse ac suppositum. Ego tamen, quum videam, ob antiquitatem ac fidem alias probatam testium factum adfirmantium, praestantissimos criticos (g) liem dare secundum HESIODVM; nec ipsum certamen cum HOMERO, nec victoriam Chalcidicam HESIODI, nec epigrammatis veritatem in dubium vocare ausim. Sed haec vtunque credita, aut reiecta fuerint, ad hunc scopum parum facere arbitror. Manet enim in saluo tripus ab HESIO DO Musis sacraus, etiam si epigramma spurium, et certamen cum HOMERO in dedecus principis poetarum excogitatum pronuntiemus, dum ipsius Ascraci carmini (h), quo, se Chalcide tripodem reportatum Musis dicasse, testatum reliquit, fidem temere derogare nolumus. Non mihi verendum est, ne in TVAM, quamvis relictissimi etiam harum rerum iudicis, reprehensionem incurram, si huc retulero ERYDICES Illyriae epigramma, quod ab interitu conseruauit PLVTARCHVS (i) ille multiplicis ac variae eruditionis condus promus. Nam vel vnicum carmen, de quo hic agendum erit, si foetus est, quod sane esse videtur, ingenii huius mulieris, haud postremum ipsi locum inter celebratas ab antiquitate poetrias vindicat. En ipsos versus:

Ἐρυθίκη ἱεραπολιτικὴ τόνδ' ἀνέθηκεν  
Μούσαις, εὖσιον Ἰσχυρὶ ἰλίδας πόδας.  
Ἐραμματα γὰρ, μνημῖα λόγων, μήτηρ γρηγοῦσα  
παῖδων κήδωντα ἐξέποντος μαδῆν.

Haesit hic monumento, vt fit, aliquid obscuritatis, cuius culpa procul dubio in imperitiam, aut negligentiam librariorum conferenda est. Hinc post aliorum tantamina critica eximium istud Goeringensis academiae ac nostrae etiam societatis, decus, venerabilis HEVMANNVS singulari disertatione (k) hos elegos emendandos atque illustrandos suscepit. Merito ibi vir eruditus reprehendit eos, qui in secundo versu pro verbis Μούσαις εὖσιον, vel, quod alii libri praefertunt, Μούσαις εὖσιον, referibendum putant Ταῖς Μούσαις ἰσόν. Quid enim quaeso Musis cum isla? Ipse igitur alia medicina locum sanare aggreditur, ita refigens verba: Μούσαισι σῦλον. Exempla adfert militum, qui arma, pastorum, qui fistulam, LIPSII, qui pennam diis consecrarint. Sed, quod pace magni viri dixerim, mihi adhuc dubium videtur, an prima vocis ἰσόν syllaba apud vllum Graecum poetam correpta inueniatur. Praeterea HESIODI epigramma anathematicum, cuius paullo ante mentio facta est, eo perduxit me, vt credam, in voce εὖσιον nihil quaerendum esse, quod ad articulum τόνδ' in primo versu referendum sit. Potius adfirmatorem, eadem ratione, qua HESIODVS τόνδ' ἀνέθηκεν (l) scripsit, intelligens tripodem, cui epigramma inferiptionerat, ERYDIDICEN τόνδης posuisse sine nomine adiecto, et intelligi voluisse illud, qualecunque etiam fuerit, cui carmen

) 2

(f) Habes eam apud DIONEM CHRYSOSTOMVM orat. II. de regno, et in certamine HOMERI ac HESIODI, et in Anthologia epigr. Graec. lib. III. cap. XXV. epig. 16.

(g) Horum princeps IO. ALB. FABRICIVS in bibliothecae Graecae lib. II. cap. VIII. n. 3. pag. 37. post varias hac de re allatas sententias ita decernit: Viceris itaque HOMERVM aetate praecedens (aque enim TZETZAE de iunioris nestio quo HOMERO coniectura probanda videtur) viceris inquam HOMERVM illum celebratissimum HESIODVS florens aulice annis, vt ARSCHVLVS sinez vicius est a iuvene SOPHOCLE.

(h) in Elegias vers. 65f. seqq.

(i) de paedagogia pag. 14.

(k) Inserta est ista viri celeberrimi disert. Miscellaneis Lipsi. a PEZOLD edit. tom. VIII. p. 137.

(l) Scio equidem in Anthologia epigrammatum Graec. lib. III. cap. XXV. pro τόνδ' ἀνέθηκεν scriptum esse τόνδ' ἀνέθεκε, sed maior est apud me auctoritas DIONIS CHRYSOSTOMI, ex quo verius Hesiodos supra descriptos posui.



men erat inscriptum. Posset aliquis suspicari, ipsam vocem *ἑπιδόδα* etiam in poëtria nostrae versu subaudiendam esse, nisi constaret, HESIODO tripodem, quem Musis sacrauit, praemium certaminis (*m*) datum esse, quale nihil de EURYDICE ne fingere quidem probabiliter possumus. Adde quod PLYTARCHVS (*n*) carmen nostrum vocat *epigramma, quod EURYDICE consecrauerit Musis*. Hinc clarum esse puto, poëmatium hoc non inscriptionem donarii, sed ipsum donarium fuisse. Supplendam igitur puto vocem *ἑπιδόδα*, *ἑπιδόδα*, et quidem talem tabellam, in qua nihil aliud, quam scriptum erat nobile istud epigramma. Solitos autem fuisse veteres eiusmodi tabellas (*o*), in quibus scripta erant beneficia, si qua insignia a diis se accepisse putabant, in templis suspendere, antiquitatis studiosorum nemini incognitum esse potest. Haec si cui non sine ratione disputata videbuntur, eidem facile me persuasurum confido, locum vocabuli *ἑπιδόδα* requirere epitheton vocis *ἑπιδόδα*. Quum vero non videam, quomodo istud *ἑπιδόδα*, aut etiam altera scriptura, quam dedit FRANCISCVS FABRICIVS (*p*), *ἑπιδόδα* satis commode hanc vicem praestare queat, equidem in eius sedem reposuerim *ἑπιδόδα* (*q*), et *ἑπιδόδα ἑπιδόδα* *ἑπιδόδα* animo iucundissimum desiderium significare crediderim. Porro verba *ἑπιδόδα ἑπιδόδα* non ego, quod interpreti placuisse videtur, *desiderio flagrans* (*r*) reddenda censeo, sed potius *desiderii compos facta* interpretor. Nunc vero carminis nostri haec fere prodit sententia:

*Eurydice Musis Hierapolitana dicitur,*

*Dulcis quae voti se videt esse ream.*

*Discere nam licuit inuenim iam prole beatae,*

*Quae doctrinarum sunt monumenta, notas.*

Sed mistum facio epigramma, quo Musis gratias egit Eurydice, et ad eam gratiarum actionem accedo, quam supremo huius vniuersi moderatori TVO nomine, VIR MAGNIFICE ATQVE SVMME VENERABILIS, debemus. Non enim sine praesente numinis diuini auxilio ita factum esse agnoscimus, vt TV saluus ac sospes iam tertio clauum tenes et tractes gubernacula academiae. Quanta sit publica, quam haec TVA felicitas in omnium honorum, animis excitat, laetitia, abunde elucet ex alacri gratiarum actione et exultante congratulatione patrum, nec seignioribus studiis ciuium huius erudite reipublicae. Dudum omni furo carens pietas, excellentissima iustitia, inconcussa constantia, admirabilis prudentia, iucunda et incredibili lenitate temperata seueritas, et reliquae TVAE tanto munere dignissimae virtutes effecerunt, vt venerandus academiae senatus TE optimum iuris sui defensorem celebret, et liberalibus doctrinis dedita cohors ob id maiorem legibus parendi curam praeferat, quod TE sibi non rectorem, sed parentem datum autumat. In hoc consensu et inter tot vota ac gratulationes insignis est sodalium nostrorum contentio, qui non solum sentiunt, quanta per TVVM honorem ipsis accrescant ornamenta, sed officio etiam ac pietati satisfacere laborantes precibus publicis suas preces coniungunt, Deoque optimo maximo casta vota nuncupant, vt TIBI tantum munus incolumi perferre, ac saepius in posterum resumere contingat.

(m) Vide quos testes huius rei producit FABRICIVS bibl. Graec. lib. II. cap. VIII. n. 2. pag. 370. seqq.

De tripodum autem figuris et vario vsu prae caeteris erudite discribit SPANHEMIVS in CALUMACHII hymnum in Delum v. 90. pag. 383. seqq. Nec ibi omisit tripodas certaminum praemia.

(n) Loco ubi protulit EURYDICES versus, eosdem dicit: *ἑπιδόδα, ἑπιδόδα* [Eurydice] *ἑπιδόδα* *ἑπιδόδα*.

(o) De his consulti postulat CASABONIVS ad Dionys. Halicarn. tom. II. p. 333. TOMASINVS de donariis cap. VII. et PITAGORVS in Lexico antiquo. v. *Tabella*.

(p) Ex XYLANDRO hoc annotatione didici. Nam ipsas obseruationes FR. FABRICII, quas addidit PLYTARCHI de liberorum educatione libello a se edito, quamvis diligenter quaesierim, nondum inspicere mihi licuit. Et maximas gratias illi habuero sum, qui mihi libellum istum, etiam in breuissimi temporis vsu, procurauerit.

Si quis respuat vocabulum *ἑπιδόδα*, vt apud nullum scriptorem veterem occurrens, meminerit, nec *ἑπιδόδα*, vt *ἑπιδόδα* vllibi apud veteres legi, certe id non constare. Et is est Graecae linguae ambitus, vt vel sola analogia sufficere videatur ad probandam vocis bonitatem. Quum autem ex *ἑπιδόδα* Graeci *ἑπιδόδα* composuerint, et multas simillimas huic voces habeant, quidni *ἑπιδόδα*, *ἑπιδόδα* aduerbio *ἑπιδόδα* augeri possit? Alioquin etiam a vulgata scriptura parum recesseris, si recessas *ἑπιδόδα*.

(q) Nam eo sensu Graeci dicere potius solent *ἑπιδόδα* *ἑπιδόδα*, quam *ἑπιδόδα* *ἑπιδόδα*. *ἑπιδόδα* autem significare *obtinere, consequi*, phrasae *ἑπιδόδα*, ἢ *ἑπιδόδα ἑπιδόδα* declarat. Huc accedit, quod EURYDICES magis ob hoc, quod desiderii compos fuerit, quam quod eo teneretur, Musis donum obtulisse contentaneum est. Et hoc ipsum e dillicho posteriore colligere licet.



78 M 496

ULB Halle 3  
001 618 148



TA-506

617







VIR MAGNIFICVS  
ATQVE SVMME VENERABILIS

VIRO MAGNIFICO  
ATQVE  
SVMME VENERABILI  
**FRIDERICO ANDREAE**  
**HALLBAVERO**

SANCTIORIS DOCTRINAE DOCTORI  
ET PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO  
CELEBERRIMO  
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM  
MEININGENSIS COBVRGENSIS ET SALTZELDENSIS  
NEC NON GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS  
A CONSILIIIS ECCLESIASTICIS  
CIVIVM GOTHANORVM ET ALTENBVRGENSIVM  
INSPECTORI GRAVISSIMO  
SOCIETATIS LATINAE DIRECTORI  
SPECTATISSIMO

**REGIMEN ACADEMICVM**

A. D. III. ID. AVGVST. CLC. MCC. XXXXVI.

RITE SVSCEPTVM

**SOCIETATIS LATINAE NOMINE**

GRATVLATVRVS

DE DONARIIS POETARVM

BREVITER COMMENTATVR

**M. IAC. FRIDER. HEVSINGER.**



VIENNAE TYPIS RITTERIANIS.

ba,  
neas.  
fus:  
i fatafecunda:  
OVÆ,  
neum.  
tem,  
quem.

